

Aegypto cogebat. Sic autem non cogentur Iudaei in egressu ex Iudaismo ad Christianismum. Ibi nullam irresistibilem expectarent gratiam ac coactionem ad suscipiendam doctrinam noui testamenti. Nam eiusmodi foederi spirituali, voluntario etiam obsequio fidei accedendum esset, prout essentialis libertas creaturae rationalis, postulat, in qua liberum voluntatis arbitrium, agat sponte, cum iudicio, a nullo ente externo coactum. Homini enim rationalis est, ut agat sine coactione, cum praeiudicio mentis iudicio. Non diffitendum itaque est, multum esse discriminis, inter gubernationem ac prouidentiam Dei maiestaticam, qua Deus irresistibili sua potentia Israelitas ad exitum ex Aegypto coegit, corda direxit, & passiones refrenauit; & inter gubernationem gratiae moralem ac resistibilem, qua permouentur homines ad ineundum foedus spirituale cum suo redemptore. Deus usus est via potentiae, in educendis Israelitis ex Aegypto ad seruandum suum promissum. Non vero utitur potentia sua irresistibili, ut ex malis Iudaeis, bonos Christianos faciat. Hoc est potius necessarium requisitum in foedere gratiae, ut ad doctrinam et legem Messiae, consensus voluntatis obsequentis accedat. Hoc docuit Christus postulando, ut conuertendi ad doctrinam noui testamenti se submittant, suae prouidentiae morali ac ordinatae. Si dat legem seu doctrinam suam de nouo foedere suo, necesse est, ut voluntarium consensum obtineat, nec diuinae in cor eorum inscriptioni resistatur. Deus agit cum populo suo, modo creaturae rationali conuenienti, foedus suum per doctrinam et cognitionem Domini offerendo, ad poenitentiam & fidem exhortando, motiua proponendo; populi est, ne gratiosae ac diuinae legis inscriptioni in voluntatem suam resistat, sed ut doctrinam accipiat, frater fratrem doceat, & foedus ineat, cognitionem & voluntatem Domini amplectendo. Deus enim principaliter consensum & dissensum voluntatis humanae respicit. Cum homine nolente nec Deus se vnire cupit. Versatur enim homo lapsus etiam in statu probationis & voluntatis explorandae, utrum per gratiam Dei velit, an nolit excolere cognitionem Messiae, utrum velit, an nolit docere cognitionem Domini & alios adducere ad salutem, utrum velit an nolit gratiam Messiae et remissionem peccatorum consequi. Si quis vult finem, velit etiam media, si quis vult finem fidei suae, aeternam salutem, velit etiam media salutis, doctrinam de salutari cognitione Dei. Deus nobis obuiam iuit sua gratia, dum ex paterno amore, consilium de salute hominum per Christum acquirenda promulgauit, sin homines suo deerunt officio, nec viribus gratiae instructi rationali promptitudine & voluntaria docilitate diuinam doctrinam apprehendent, in culpa est malitia voluntatis humanae, qua nemo proximum nec frater fratrem ad salutem instituet. Nisi quis mediis recte utetur, doctrina & cognitione Domini, nec ad optatum finem perueniet, ut remissionem peccatorum & salutem aeternam consequatur.

S. D. G.

Coll. Diss. A. 202, misc. 42